FRIDERICOS SERENISSIMOS GERMANIAE PRINCIPES PACIS LITERARVM ET SCHOLARVM AMATORES

BREVI COMMENTATIONE

EXPOSVIT

M. HENRICVS AVGVSTVS SCHVMACHERVS

ILLVSTRIS GYMNASII GRIMENSIS CONRECTOR





GRIMAE

TYPIS CHRISTIANI VOGELII

CIƆIƆCCXXIIX.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

FRIDERICO II.

SAXONIAE IVLIAE CLIVIAE ET
MONTIUM ANGARIAE ET VVEST-
PHALIAE DUCI

LANDGRAVIO THVRINGIAE
MARCHIONI MISNIAE

PRINCIPI COMITI HENNEBERGENSI
COMITI MARCAE ET RAVENS-
BERGAE

DYNASTAE RAVENSTEINII
AC TONNAE ETC. ETC.

PRINCIPI
AC DOMINO MEO
LONGE CLEMENTISSIMO

SERENISSIME PRINCEPS
DOMINE CLEMENTISSIME



Um nihil in rebus humanis, quae externam promovent felicitatem, pacis nomine dulcius universo mortalium generi accidit, cuius res ipsa, auctore Tullio, eloquentiae in Latio Magistro, & jucunda, & salutaris est: tum summi in orbe terrarum Principes, qui non a pace solum obtinuerunt nomina, sed ipsi quoque pacis auctores & conservatores existunt, omni amoris, venerationis, ac pietatis cultu digni a

civi-

civibus, fide & obsequio obstrictis, merito habentur. Praeterquam enim, quod nihil munere, quo funguntur, dignius praestant, & multa, eaque salutaria, patriae adferunt bona pacis cupidissimi illi rerum Moderatores, id etiam sedulo agunt, ut suavissimos pacis fructus in suos transferant, & Musarum domicilia, quae pacis tempore optime florent, aperiant, ut divina & humana sapientia, bonarum artium, & linguarum studia adolescentibus, in spem patriae natis, tenera adhuc aetate, instillentur. Qua summa felicitate per TE, FRIDERICE MAXIME, PRINCEPS SERENISSIME, cives, sub ditione & regimine TUO viventes, praecipue his temporibus fruuntur, qui ab omni belli strepitu, & hostium exercitu, tuti, Tua cura ac providentia in pace conquiescunt, & in scholis, pietatis & sapientiae officinis, Tuo praesidio conservatis, animos suos optimis scientiis & virtutibus ita praeparant, ut Reipublicae aliquando salutem promovere queant. Maxima haec, & praestantissima, sunt beneficia, quae TUAE benignitati, FRIDERICE SERENISSIME, PRINCEPS FELICISSIME, omnes & singuli non sine causa attribuunt, qui cunctas Germaniae Principum, & inprimis Serenissimorum Saxoniae FRIDERICORUM,

pacis

pacis, literarum, & ſcholarum amore florentiſſimorum, laudes complecteris, quorum merita, quae in monimentis ſuperſunt, nulla unquam delebit oblivio, nec diuturnitas temporis obſcurabit. Et licet ea in omnium hominum ſermonibus & mentibus haereant, & non uni populo, ſed omnibus Europae nationibus, cognita ſint & perſpecta; ego tamen in hoc exiguo libro, quem TIBI, SERENISSIME PRINCEPS, omni devotione, animique ſubmiſſione, offero, ea omnia, una cum TUIS, in rem literariam, beneficiis, brevi commentatione repetere auſus ſum, quem laborem, vultu aſpectuque TUO Sereno haud indignum, pro eximio in ſcholas amore, exiſtimabis. Tanta enim TUI PRINCIPIS eſt ſapientia, tanta cura rerum divinarum, tantaque clementia in literarum cultores, ut opem TUAM implorantibus ultro ſubvenias, & gratiam exteris perinde, atque in ditione Gothana natis, impertiaris. Quibus commotus, DEO immortali, cuius nutu ac numine PRINCIPES FRIDERICI, pacis cupidi, fiunt, & imperant, diurnis nocturnisque precibus ſupplico, ut TE, PRINCEPS SERENISSIME, pacis Praeſidem, purioris doctrinae Vindicem, pietatis & munificentiae Exemplum, juſtitiae Aſſertorem, literarum ac ſcholarum Statorem,

torem, oppressorum Defensorem, sine ullo casu & offensione valetudinis, in excelso fastigio, contra omnes temporum injurias, diutissime confirmet, coelestique praesidio septum defendat. Custodiat totam *Serenissimam* DOMUM SAXOGOTHANAM praepotens rerum arbiter, conservet SERENISSIMAM CONIUGEM, MAGDALENAM AUGUSTAM, MATREM PATRIAE, DEO caram, PRINCIPI fidam, & patriae amantem. Regat ac tueatur Heredem, FRIDERICUM *Serenissimum*, & omnes tantae fortunae capaces DUCES ac PRINCIPES, ut vera religio, sapientiae doctrinaeque studia, auspiciis eorum floreant, & novis accessionibus ac incrementis in dies augeantur.

SERENISSIMO NOMINI TUO,

PRINCEPS SERENISSIME,

devotissimus obsequentissimusque

M. HENRICUS AUGUSTUS SCHUMACHERUS,

ILLUSTRIS GYMNASII GRIMENSIS CONRECTOR

I. Si



I.

SI ullum unquam Imperatorum, Regum, & Principum, communis patriae, Germaniae nostrae, nomen Musis, earumque cultoribus, & Scholis, literarum officinis, faustum, benignum, & jucundum, accidit, est profecto dulcissimum & augustissimum illud FRIDERICI nomen, quo multi eorum, non minus superioribus, quam nostris pariter temporibus, felici auspicio sunt appellati. Cujus felicitatis & suavitatis causam, neque cum iis, qui aut mentis simplicitate, aut vana rerum persuasione, aut falsa superstitione, adducti facile credunt, in hoc nomine quaerendam esse censeo, neque reconditam ei vim, & efficaciam, inditam esse, temere existimo. Quod superiori seculo a multis factum esse Daniel Guilielmus Mollerus, inclytae Noricorum Academiae Altorfinae Professor Historiarum, in Dissertatione, de fatalibus personarum nominibus, (a) commemorat, multisque docet exemplis, Gallis Ludovicos, Hispanis Ferdinandos, Carolos Suecis, felices & faustos; contra Henricos Gallis, Jacobos Scotis, Richardos Anglis, & Philippos Hispanis, infelices, & minus auspicatos, fuisse. Ego tamen, multis variisque exemplis commotus, ingenue confiteor, maximos inter Germanos Principes, summam Imperii obtinentes, FRIDERICI nomine insignitos, pacis amatores fuisse, & non sine singulari divini Numinis providentia, literarum studia in pretio habuisse, & Scholas, itemque Academias, non tam orna-

 men-

(a) Altorf, 1685.

menta, quam fulcra civitatum, & provinciarum, condidisse, conditas multis accessionibus auctas conservasse, & Doctores earum publicos dignis non raro praemiis, & honoribus, ornatos coluisse.

II.

Neque vero ea de causa divino quodam instinctu, jussu, & consilio summos Principes nomen illud inter Germanos obtinuisse, asserere audeo, quippe quae felicitas primo & praecipuo omnium FRIDERICO, SALOMONI, DEi immortalis dono ac munere, concessa & tributa est. Quae enim sanctissimus vates, Nathan, divino oraculo admonitus, & Flamine sacro agitatus (*b*) Patri promittebat: „Filius, inquiens, qui nascetur tibi, erit vir quietissimus, eamque ob cau„sam pacificus ipse appellabitur, & nomini meo domum aedificabit, ea exitus, futuro demum tempore, non sine communi omnium laetitia & tranquillitate comprobavit. Postquam enim, Patre beate defuncto, Imperii summam, maximo rerum arbitro ita jubente, obtineret hic felicissimus FRIDERICUS, εἰρηνικός, pacis inter suos constituendae auctor & conservator deprehensus, & hac in re insignis factus est Servatoris nostri optimi typus, qui solus coelestis pacis Princeps non immerito a viris sanctissimis appellatur. Quae laeta & tranquilla SALOMONIS tempora cum animo secum reputaret Siracides (*c*) verbis satis aptis exprimebat & dignis quae hoc loco repetantur: Σολομὼν ἐβασίλευσεν ἐν ἡμέραις εἰρήνης, καὶ ἐδοξάσθη, ὡς ὁ Θεὸς κατέπαυσε κυκλόθεν αὐτῷ, ἵνα στήσῃ οἶκον ἐπ' ὀνόματι αὐτοῦ, καὶ ἑτοιμάσῃ ἁγίασμα εἰς τὸν αἰῶνα. Ὡς ἐσοφίσθη ἐν νεότητι αὐτοῦ, καὶ ἐνεπλήσθη ὡς ποταμὸς συνέσεως. Γῆν ἐπεκάλυψεν ἡ ψυχή σου πᾶσαν, καὶ ἐνέπλησεν παραβολαῖς αἰνιγμάτων. Εἰς νήσους πόῤῥω ἀφίκετο τὸ ὄνομά σου, καὶ ἠγαπήθης ἐν τῇ εἰρήνῃ σου. Qui benignus & pacis amans Judaeorum Rex, sicut divinarum humanarumque rerum scientia optime instructus erat, adeo quidem, ut a multis eruditorum summus Theologus, civilis doctrinae Consultissimus, Medicinae Princeps, & sapientiae Professor praestantissimus, habitus sit: ita sapientiae quoque cultores amore complexus est, & pacis ornamenta servaturus, multis licet, iisque gravioribus Imperii negotiis oppressus esset, in amplissima Hierosolymorum urbe, si Jo. Pinedam

(*b*) 1. Par. 22. 9. (*c*) cap. 47. v. 14. seq.

dam, Hispanum, in Salomone praevio, s. de rebus Salomonis, (*d.*) testem audire volumus, Gymnasium, sanctissimam sapientiae officinam, vel condidit, vel conditam instauravit.

III.

Quam divinam felicitatem & gloriam, nomine & factis acquisitam, nostris quidem in Germania Principibus, qui FRIDERICI nomine gavisi sunt, & nostra adhuc aetate gaudent, attribuere nequeo; nihil ominus tamen egregio suo in bonas artes, literas, & disciplinas amore, & insigni, qua Scholas, earumque Doctores, sunt prosecuti, benevolentia, & praecipuo pacis, aut restituendae, aut conservandae studio, ad sapientissimi Salomonis laudes proxime accesserunt. Atque exinde factum esse arbitror, ut non minus nostra; quam superiorum, & priscorum etiam Germanorum, aetate summis Principibus, boni ominis, & felicis auspicii causa, hoc nomen, usque a temporibus Caroli M. in sacro fonte, cum Christo nomen dederunt, & vera doctrina Christiana se imbui passi sunt, impositum sit; quo iisdem vel pacati temporis felicitatem in memoriam revocarunt, vel optarunt, ut tales futuri sint FRIDERICI, quales superiores extitisse non ignorarunt. Satis erudite, ut solet, de hac nominum priscorum Germ. impositione disserit contra obtrectatores celeberrimus Jo. Georg. Eccardus, cum ait: (*e.*) Non inania fuerunt veterum Germanorum nomina ab ursis, „ apris, lupis, aut aliis talibus desumta, sed plerumque, si vera cum iis ra-„ tio etymologica ineatur, vi radicum suarum, *sunt boni ominis*, & ad „ animi, corporisque, aut patriae communis, gentisque, felicitatem, re-„ spiciunt. Nota omnibus, & pervulgata sunt, quae Jo. Aventinus, in introductione ad Annales Bojicos, nomina Germanorum propria studiose expositurus, adduxit, ubi breviter quidem, sed solide, confirmat, quod nomina Germanorum veterum ab initio gentis simplicissima fuerint, & non a locis, regionibus, provinciis, aut ex nominibus sanctorum, prout seculis posterioribus factum est, sed vel ab eventu, officiis, & virtutibus animi, non raro etiam a vitiis corporis, sint desumta. Digna sunt lectu, quae Godofredus VVegenerus, qui B. Lutheri libellum, de

 no

(*d.*) Moguntiae Anno 1613, pag. 198.
(*e*) In Historia studii Etymologici Ling. Germ. pag. 571.

nominibus propriis Germanorum ad primam etymologiam restitutis in lucem protulisse dicitur, Beatus Rhenanus, Andreas Althammerus, Jodocus VVillichius, Jo. Stumphius, Aegidus Tschudus, Jo. Goropius Becanus, Adrianus Iunius, & praeter hos, Pontus Heuterus, Cornelius Kilianus Dufflaeus, Schottelius, Harsdorferus, aliique, de Germanorum nominum expositione collegerunt. Qui omnes, una voce & sententia, dulce FRIDERICI nomen faustum ac laetum Germanis fuisse affirmant, eandem vero vocis originem non agnoscunt. Non omnes enim a *Friede,* aut *Frede,* &, quod inde factum, *Fredo,* quod praeter mulctam, ob bellum motum persolvendam, publicam etiam pacem significat, quod Christophorus Lehmannus in Chronico Spirensi observavit, (*f*.) sed non nulli, a frey, alii a froh, derivant, & pacis tempora, per libertatem & laetitiam, denotari censent.

IIII.

Illi vero neque ferendi, neque audiendi sunt, qui, cum Merula, FRIDERICI nomen in Latio quaerentes a foedere deducunt, (*g*) & *Foedericum* appellitandum censent, aut cum Aminiano Marcellino, Antiocheno, plane corrumpentes in *Frigeridum* commutant, quos jure reprehendit doctissimus Thomas Reinesius, in praefatione Syntagmatis Inscriptionum antiquarum, ubi de elegantissimo libro, de Romanorum, & Graecorum, & praesertim de Germanorum veterum nominibus, in lucem aspectumque proferendo differit, quem fatis ereptus perficere minus potuit. Manet ergo patrium, manet gentile apud Germanos FRIDERICI, FREDERICI, vel FRIDERICHII, nomen, ex sententia Conradi Gesneri, in bibliotheca, a pace quod originem trahit, & pacis amantem, pacisque divitem, & abundantem, notat. Quod maximi Germaniae Principes, rerum summa potiti, cum obtinuerunt, quietis cupidissimi civibus suis visi sunt, & Rempublicam, bello saepius quaerere laborarunt, pace nutrire & ornare, & Scholas inprimis, sapientiae, bonarum artium, ac disciplinarum officinas, pacis temporibus optime florentes, magna cura condiderunt, & conditas, pro eximio suo in eruditos amore, amplificarunt.

V.

(*f* Libr. 2. c. 4.

(*g*) Jo. Cuspinian vit. Caes. pag. 408.

V.

Sunt quidem non nulli, quod non ignoro, qui a ſententia mea diſcedunt, & FRIDERICORUM nomina Imperio Romano Germanico infelicia fuiſſe opinantur, eosque Imperatores & Principes, perpetuis bellis implicitos, infelici morte diem obiiſſe ſupremum, ſcribunt, de quibus praedictus Mollerus, in Diſſertatione de fatalibus perſonarum nominibus (*b*) egit. Sed cum pauca admodum exempla proferant illi, & nihil, praeter infelicem quorundam obitum exponant, ſingularem FRIDERICORUM, Principum Germaniae, amorem, quo pacem, literas & Scholas praecipue ſunt proſecuti, ſubvertere non poſſunt, de quo jam dicturus ſum.

VI.

Rectius de hoc argumento pro ſua, qua praeditus erat, facundia, & eruditione, egit Aeneas Sylvius, Piccolomineus, primum in aula FRIDERICI III. Imperatoris Rom. ab epiſtolis ſanctioribus, poſtea ſacro Ordini adſcriptus, & Epiſcopus Senenſis, ac tandem Pontifex Romanus, Pii II. nomine celebris, in erudita digreſſione de FRIDERICIS, quam temporum actorumque publicorum optime gnarus, Hiſtoriae ſuae de FRIDERICO III. adjunxit, & ſuperiori ſeculo Jo. Henrici Boecleri, Viri doctrina & prudentia inſignis, multis obſervationibus illuſtratam, cum ipſa Hiſtoria Aeneae Sylvii, in lucem emiſit Jo. Georgius Kulpiſius. (*i*.) Quia vero de FRIDERICIS tantum Imperatoribus, pacis & literarum cupidiſſimis, praecipue ſibi agendum propoſuit doctiſſimus ille Aeneas Sylvius, in animo jam habeo, quaedam ex erudita ejus commentatione repetere, & alios etiam FRIDERICOS, Principes Germaniae, & quos inprimis Saxonia noſtra, felici omine, pacis auctores, Muſarum Patronos, & Scholarum feliciſſimos conditores, vera, ſed brevi laudis praedicatione, commemorare. Longum profecto foret, & ab inſtituto meo alienum, omnes

 hoc

(*b*.) p. 32. (*i*) Argentorati, 1683. Novus titulus Ao. 1702. praemiſſus: J. G. Kulpiſii Scriptores rerum Germanicarum.

hoc loco proferre Europae FRIDERICOS, pacis & studiorum amantes. quorum memoriam conservant annales, & non magis de republica, quam literarum cultura, & scholis aperiendis, cogitasse testantur.

V I I.

Primum ergo, & praecipuum, inter omnes, locum obtinebit FRIDERICUS I. Ahenobarbus, Imperator Romanorum Seculo XII. quem Abbas Urspergensis (k.) fide dignus scriptor, ex nominis interpretatione, pacis divitem appellavit, eo, quod nihil prius, aut antiquius habuit, quam ut domi pacem sine publico motu, & consilio magis, quam armis, constitueret, quo ab illo strepitu tandem remotus studiorum rationes optime servare, & cum eruditis commercia alere posset. Prout enim ipse literas amavit, & Carmina pangere Latina non minus voluptati, quam gloriae, sibi duxit: (*l.*) ita eruditos, & literarum peritos, pro temporum illorum conditione, liberaliter habuit, multisque beneficiis, & ornamentis, dignos judicavit, & de Gymnasiis pietatis, artium, & virtutum, aperiendis, intanta rerum omnium caligine, solicitus fuit. Erant vero iis temporibus coenobia condita, ut essent scholae sapientiae divinae, virtutum officinae, & normae disciplinae, & domus caritatis, ut Jo. Trithenius testatur, in quibus condendis, & confirmandis, nihil quicq amFRIDERICUS omisit. Vivit in animis ac memoria eruditorum, vivit in monimentis, multo clarissimis, singularis ejus Constitutio, quam vulgus *Authenticam* nominat, qua studiosi bonarum artium, ad nostra usque tempora, in omni republica immunitatibus, cum studiorum causa peregrinanationem instituunt, fruuntur. Egregie FRIDERICI hujus indolem expressit Carionis Chronicon, verbis ex Ottone Frisingensi, (*m*) certissimo rerum aetatis illius Scriptore, desumtis: optimus Princeps fuit „FRIDERICUS, in quo magnitudo animi, atque consilii fides, constantia, moderatio, pietas, adeo excelluerunt, ut nulla ei virtus, magno „Viro, & optimo Principe, digna defuisse videatur. Est igitur exemplum „boni Principis, & domi militiaeque ex tota vita privata publicaque, in qua luxerunt omnium virtutum effigies. Praeterire non possum, quae communis Germaniae Praeceptor, Philippus Melanchthon, in oratione de

(*k.*) An. 1152. (*l.*) Jo. Burckardus de Ling Lat. in Germ. fatis T. 2. p. 100.
(*m.*) ad Annum 1146.

de FRIDERICO I. praedicat: (*n.*) Multa, inquiens, collegia *Regula-*,, *rium*, ut vocant, condidit, ut in illis colerentur studia doctrinae Chri-,, stianae, quae tunc videbat negligi in illis opulentioribus Collegiis, & Monasteriis. Tria memini collegia (*o.*) ab ipso condita, *Adelburgense, Hagonense, & Gelhusanum*, cetera non memini. Merita hujus Imperatoris maxima, si quisquam alius, Perillustris ac Excellentissimus Dominus HENRICUS A BUNAU, potentissimi Regis Poloniae, & Pr. Electoris Saxoniae, in summo Senatu sacro Praeses, literarum & scholarum Patronus incomparabilis, tanta industria, tantoque studio, elaborata Anno MDCCXXII. in lucem protulit, ut nihil ab erudito orbe perfectius unquam desiderari queat.

Eandem laudem, & nominis gloriam, comparavit sibi, & multis modis auxit, FRIDERICUS II. Imperator Romanorum, Seculo XIII. qui, cum difficillimis istis Germaniae temporibus tot regiones florentissimae afflictae penitus jacerent, primam sibi curam datam esse existimavit, ut pacem & concordiam in Imperio conservaret, & Pontificum Romanorum, excommunicationis fulmina in se vibrantium, dominatum reprimeret. Bonas literas a primis statim annis in deliciis habuit Imperator optimus, & variarum linguarum, Graecae, Latinae, Italicae, Gallicae, Saracenicae, Germanicae, cognitione imbutus, alios etiam, & praesertim suos, hac linguarum scientia institui voluit. (*p.*) Qua de re animum ad scholas instituendas adjunxit, ut publica Musarum domicilia essent, quibus adolescentes, in spem patriae nati, optimis artibus & linguis augeri & ornari possent. Hospes rerum, & temporum sit, oportet, quem Scholae, ab hoc Imperatore conditae, fugiant. Testis est curae illius, artes & scientias promovendi, Academia Patavina, testis est Ferrariensis, testis est Neapolitana, in quam omnium disciplinarum Doctores adscivit, testis est Viennensis in Germania, quae ab eo condita, ab Alberto III. Austriaco, postea amplificata. Quo inusitato in literas & bonas artes amore commotus Imperator, omnium, secundum Carolum M. potentissimus, rei publicae Christianae utilissimus, & sapientissimus Princeps, libros Aristotelis omnes, item Galeni opera, Gregorii Nysseni, de na-

(*n.*) Tom II. Declamat. p. 850.

(*o.*) Conf. Casp. Bruschii Chronolog. monast. German.

(*p.*) V. Götzius in Dissert. Princeps Graece doctus pag. 13. & Daniel Pareus in Medulla Hist. universal. pag. 694.

de natura hominis, & multa alia, facris & profanis literis, universam fupellectilem Philofophiae, ex Graeco & Arabico fermone, per doctisfimos interpretes, fuis fumtibus vertendam curavit, legendamque eam Gymnafiis publicis in Germania, & exhibendam praecepit, & fcientias Mathematicas primus ad Germanos adduxit, idquod Jo. Aventinus confirmat Annal. Boj. Lib VII. c. 4. Juvat in hanc rem repetere Bulaei in Hiftor. Acad. Parif verba: FRIDERICUS II. Ariftotelis opera, Ptolomaei *magnam Syntaxin*, Gregorii Nyffeni libros de natura hominis, medicaeque artis auctores primarios, de Graeco & Arabico in Latinum converti, & Bononiae doceri, curavit. Idem Mathematicas disciplinas in Italia excitavit, Neapolitanam Academiam inftauravit, Viennenfem erexit, Bononienfem, & Salernitanam reformavit. (*r.*) Ufus eft in hoc ftudiorum genere doctisfimo omnium, quos aetas ifta tulit, eloquentisfimoque, Petro de Vineis, Cancellario, & arcani confiii focio, cujus fex epiftolarum libri a Simone Schardio, JCto, editi (*f.*) multum prudentiae continent, & thefaurum actorum illius aevi oftendunt. Falfa igitur, & ex invidia, ac obtrectatione orta Pontificis Romani, & Sacerdotum, accufatio fuit, qua FRIDERICUM, optimum Imperatorem, pesfimi illius libri, de tribus magnis Impoftoribus. Moyfe, Chrifto, & Mohamede, fi non auctorem, fuaforem certe finxerunt, a qua fufpicione celeberrimus Burchardus Gotthelf Struvius (*t*) jam dudum eum liberavit. Quas Jo. Harduinus, inconfideratae temeritatis homo, fabulas Imperatori noftro affinxerit, nolo in praefentia attingere, eo, quod vix commemoratione dignae, & a V. C. de la Croze multis argumentis explofae funt.

Neque FRIDERICUS Auftriacus I. pulcher, qui III. ab aliis appellatur, ex hoc ordine fegregandus eft, qui licet cum Ludovico Bavaro de dignitate Imperatoria decertaret, & in praelio, minus fecundo, captivus duceretur, omnique fpe acquirendi fummi honoris privaretur; fuffragiis tamen Colonienfis Epifcopi, a quo Bonnae coronatus fuerat, & Rudolphi Palatini ad Rhenum, itemque Rudolphi, Ducis Saxoniae, aliorumque Principum, Imperator electus erat. Hic prudens, benignus,

(*r.*) Adde Joviani teftimonium lib. V, de obedientia cap. 6. p. 131.
(*f.*) Bafil. 1588. ex officin. Jo. Oporini. C. S. Schurzfleifchius Difp. 36. p. 33.
(*t.*) In Differtat. de tribus impoftoribus Jenae 1703.

gnus, placidus, & maxime temperans, & rerum sacrarum, earumque, quae ad scholas pertinent, amantissimus fuit (*u*.)

De FRIDERICO Brunsvicensi, Magni illius Torquati filio, qui nonnullis IIII. audit inter Imperatores Romano Germanos, contra VVenceslaum, Caesarem, jam Romanorum Rex Francofurti electus, sed in itinere ad Frideslariam An. MCCCC. in die Bonifacii occisus erat, magna spes concepta erat, fore, ut pacem in Germania conservaret & Shcolas, prout tempora ista ferebant, institueret. Hoc satis comprobat Philippus Julius Rethmeierus (x.) ex oratione Panegyri-,, ca, quae in laudem Henrici Julii, quondam habita est, inquiens: De,, FRIDERICI, qui Caesar designari meruit, egregia & heroica virtute, ,, testimonia annalium, in medio sunt. At, utinam non nefariae invido-,, rum invidiae hunc intercepissent, & optatissimo Germaniam praesidio,, orbassent. Is enim omnium opinione futurus fuerat, in quem merito,, Ennianum de Fabio Maximo elogium hunc in modum retorqueamus:-,, Unus homo nobis bellando restituit rem. Commemorant quidem non pauci scriptores, FRIDERICUM a Comite VValdeccensi, Henrico, ferrei filio, occisum esse, sed Henricus, in crimen vocatus, culpam caedis FRIDERICI, Caesaris, vere meritoque contulit in Joannem Moguntinum, cujus nomine res in tractu Eichsfeldiae curabat, neque is, sed Hardingshusius quidam caedis admissae reus fuit. Quanquam ea res prope fortunam gentis VValdecciae evertit, funestoque civili bello, ultione incensis Brunsvicensium animis, afflixit, & aere alieno oppressit. Testem hujus calamitatis adduco illustrem Schurzfleischium, qui in Stricturis rerum VValdeccensium, ex Zacharia Vietore, Davide Chytraeo, Meibomio, juniore & auctore defensionis VValdecciae, totam historiam erudite persecutus est.

Quanta FRIDERICI V. vel juxta alios, qui FRIDERICUM Austriacum, & FRIDERICUM Brunsvicensem omittunt, III. Imperatoris Romani, in rem publicam, literas, & earum cultores, Scholas item, & Academias Germaniae, sint merita, dici vix potest. Hic sine exemplo magnus Imperator, pacis & tranquillitatis tuendae studio per quatuor & quinquaginta annos, quibus Imperio praefuit, ita delectatus est, ut nesciat plane Jo. Baptista Egnatius, in historia Caesarum: u-

 trum

(*u*.) Albertus Argentinens. p. 100, seq.
(x) Chron. Brunsviensi p. 678.

rum fato quietioris Germaniae, an prudentiae hujus Principis singulari sit attribuendum. Usus est, quae nemini adhuc contigerat, ea felicitate, ut depulsis ignorantiae tenebris, literarum, & melioris scientiae incrementis Germania, ipsius aetate, collustraretur, & multi Principes, quod non sine Numinis divini nutu factum esse videtur, exemplo ejus incitati, ingenuarum artium officinas certatim in provinciis suis instituendas laborarent, ut domicilia pararent, quibus Musas ex Italia, ope praesertim & cura Jo. Reuchlini, s. Capnionis, aliorumque virorum doctissimorum, quos FRIDERICUS noster in deliciis habebat, in Germaniam adventuras, benigne exciperent. Tota certe Europa hujus pacis cupidissimi Imperatoris, qui omnes ante se principes, & vitae, & imperii, dignitate superaverat, laudibus personabat, cum omnes scirent, & intelligerent, varias Academias, (y.) Basileensem, Tubingensem, Herbipolensem, Friburgensem, Ingolstadiensem, Moguntinam, Rostochiensem, Gryphisvvaldensem, & inprimis Lipsiensem, ejus auspiciis vel conditas, vel maximis beneficiis & privilegiis esse ornatas. Quid dicam de divina illa typographiae arte, quam felicissimi nostri Imperatoris temporibus in Germania inventam esse multi fide digni scriptores testantur, & ex iis praecipue Jo. Trithemius (z) qui temporibus FRIDERICI hanc artem adscribit, primum Sacrarum literarum codicem Anno MCCCCL. impressum esse, confirmat? Hujus, divino munere concessae, artis beneficio bonae literae & scientiae, jam pridem intermortuae, non modo in lucem revocatae, sed ad seram usque posteritatem, si DEo ita visum fuerit, typis consignatae (aa) transmitti, possunt. Optimi Graeci & Romani auctores, temporum longinquitate, situ, & pulvere obducti, in obseratis Monachorum scriniis neglecti, per tot secula jacuerunt, paucis admodum visi & cogniti, FRIDERICI vero aetate in manus eruditorum pervenerunt, & docentibus aeque, ac discentibus in Scholis legendi & enucleandi sunt oblati. Non immeritto proinde Theodorus Ryckius, in oratione, de palingenesia, literarum, judicavit, cum ait: non aliud ab orbe condito, si, quod Servatorem mundo dedit, exemeris, clarius, hoc, aut laetius, Seculum hominibus illuxisse.

VIII.

(y) Clarissimus C. A. Heumannus in via ad Histor. literar. p. 86.
(z) In Chronico Sponhemensi ad An. 1450.
(aa) Bernhard a Mallinkrot de ortu & progressu typograph. Colon 1634. pag. 36.

VIII.

Productis jam in medium, pro temporis, & instituti, ratione, FRIDERICIS, imperatoria dignitate inter Germanos praeditis, ad alios pariter Germaniae Principes, honoris & dignitatis ratione minus habita, me converto, ex quibus mihi occurrunt Principes Electores Palatini, quos pacis studio celebres fuisse, testatur Theodorus Zvvingerus (bb) eaque de causa tot FRIDERICOS extitisse, convenienti suis moribus nomine, confirmat. Cum quo idem fere sentit Daniel Tossanus in oratione (cc) habita Heidelbergae, de tribus FRIDERICIS, Imperatoribus, & tribus Pr. Elector. Palatinis. Inter hos primo loco ponendus est FRIDERICUS II. sapientis & pii nomine insignitus, qui saepius quidem de nimio Praeceptorum suorum rigore, & vana ac inepta eorum institutione conquestus est, eamque ob causam factum esse, ingenue affirmavit, quo minus majores in literis, quarum amore flagrabat, progressus fecerit. Interim favore eruditos prosecutus est, & in salutem & incrementum patriae Scholas condidit, & conditas beneficiis amplificavit. Ut primum Serenissimus Princeps Septemviri dignitatem obtinuit, multis laboribus, prout pacis Germaniae studiosissimus fuit, exhaustis, dissidium illud infelix, quod inter Caesarem, & Lutheranos, propter religionem exortum erat, frustra componere studuit. Tandem vero egregiam puriori coetui addictis operam navavit, rejectis Pontificiis dogmatibus, &, abolita Pontificis auctoritate, emendatam per Lutherum doctrinam recepit, suisque commendavit. Hinc Paulum Fagium, expertae integritatis Theologum, Argentorato Heidelbergam evocavit, ut opera ejus civibus purior doctrina inculcaretur. Cui ea de re gratulati sunt Principes Lutherani, ut auctor est Jo. Sleidanus, harum rerum diligens scriptor, ex quo Thuanus multa, quae huc pertinent, observavit. De Academiae vero vulnere curando, pro laudabili sua cura, admodum solicitus fuit FRIDERICUS noster, in id unice incumbens, ut, quae prima facile inter Germanos fuisset, primas quoque, & pristinum decus, obtineret. Sectas proinde *Nominalium, Realium, Thomistarum, Scotistarum,* sustulit, & contubernia tria, prius distincta, studiisque partium

um

(bb) Theatr. vitae human. Lib. 8. p. 653.
(cc) Anno 1587.

um distracta, conjunxit, & quo felicius veritatis sanctioris propagationi consuleret, studiosis adolescentibus, in re angusta domi constitutis, de liberali victu, & commoda sustentatione prospexit. Quem in finem Augustinianum illud coenobium, a Monachis, paulatim desertum, destinavit, idque vacuum meliori huic, & sanctiori usui consecravit, ut fieret sapientiae collegium, Schola pietatis, Gymnasium virtutis, & tenera juventus sacris literis, artibus liberalibus, & omnibus honestis disciplinis, ad Reipublicae, & coetus sanctioris Palatini, emolumentum educaretur. Sed consilium optimi & sapientissimi FRIDERICI bello Smalcaldico interruptum fuit, quod Carolus V. Imperator cum foederatis Principibus, & civitatibus Sanctioris coetus, Augustanam Confessionem amplectentibus An. MDXLVI. gessit. Nam ob Caesaris victoriam, qui Germaniam, Germanorum viribus, arte Hispanica, oppugnarat, in nihilum FRIDERICI, Pr. Electoris conatus tum recidit, &, decennio post, Otto Henricus demum, successor, divino Numine coeptis favente, quod ille in votis habuerat, confecit. Quae omnia uberius exponit Daniel Pareus (dd) in historia Palatina, magno studio conscripta.

FRIDERICUS, III. Ottonis Henrici successor, Calvini doctrinam, & Helveticam confessionem, reducendam in fines suos curavit, de scholis tamen aperiendis, & conservandis diligenter, admodum cogitavit. Non enim ignoravit, sapientissimus ille Princeps, scholas Christianas seminaria esse, ubi plantae educarentur, quae futuro tempore in vinea Christi plantatae suavissimos doctrinae coelestis fructus ferant. Quo consilio tria Gymnasia Anno MDLXV. in suis provinciis condidit & aperuit, unum Heidelbergae, Franciscanorum coenobio in scholam commutato, alterum Neuhusii, uno lapide ab urbe Vangionum, in quo Collegio impii homines, contra regulam Christi & Apostolorum, Bacchanalia vixerant, tertium Ambergae, ut ne Bavaris quidem, ad quos eo tempore referebatur, bonarum artium officinae deessent. In his scholis, ut de minoribus passim per oppida & pagos institutis, nihil dicam, pueri minores, & rudiores adolescentes limpidis pietatis fontibus, a teneris annis, imbuti sunt lacte quasi materno, & elementis Latinae & Graecae linguae, ex auctoribus optimis, & disciplinis variis, & exercitationibus eloquentiae, ita instituti, ut ad publicas Academiae praelectiones praeparati altiora studia cum laude suscipere potuerint. Omnes, qui ea

(dd) p. 251.

ea aetate, de vita & morte FRIDERICI, quae Anno MDLXXVI. ei accidit, orationes habuerunt, Petrus Boquinus, Guilielmus Rodingus, & Daniel Tossanus, a quibus Daniel Pareus non dissentit, rem publicam Palatinam beatam isto tempore praedicarunt, quod non is tantum, qui provinciis praefuit, literarum scientia, & sapientia imbutus fuerit, sed in oppidis, pagis, & vicis prope singulis ludos literarios, scholas sapientiae & pietatis instituerit, ex quibus pueri ad illustria Gymnasia transmissi gratis instituti, & plurimi, Principum Palatinorum sumtibus, nutriti sint.

FRIDERICUS IV. sincerus dictus, nihil ab hoc amore in literas & Scholas remisit, & viros, eruditione insignes, suo patrocinio defendit, & praemia, tanto Principe digna, iis tribuit, & Academiam Heidelbergensem multis modis auxit, & beneficiis cumulavit, quae Bartholomaeus Coppenius, in oratione funebri, in obitum ejus Heidelbergae MDCX. habita, non sine laudis praedicatione commemoravit.

FRIDERICUS V. pro sua literarum cupiditate, Scholarum quoque curam & incrementum suscepisset, nisi infelici rerum Bohemicarum expeditione, cum suasu & instinctu hominum satis imperitorum, dignitem Regiam, repugnante Ferdinando II. Imperatore, An. MDCXIX. affectaret, impeditus esset. Ruptis enim pacis vinculis, atrox bellum in Palatinatu ortum est, ubi simplicissima pietas, ubi optima studia, & bonaeque leges omni modo colebantur, sicut Daniel Pareus in historia supra adducta scribit.

IX.

Cum ad Saxonum Principes, laeti & auspicati nominis, FRIDERICOS progredior, tacita mecum admiratione eorum, de Scholis condendis, augendis, & conservandis, curam prosequor, iisque hanc felicitatem, singulari Dei dono ac munere contigisse, arbitror, quod susceptis pro emendata religione laboribus, artium & doctrinarum studia, auctoritate sua, revocarunt, & Virorum doctissimorum opera, promovenda laborarunt. Qua de re sine dubio factum esse, censeo, ut hoc dulce nomen in Serenissima Domo Saxonica, jam a primis temporibus tam frequens fuerit, ut parentes filiis suis, in spem & salutem patriae natis, id imponere optauerint

rint

erint, eosque hoc ipso officii sui admonuerint. Nihil dicam de FRIDERICIS, qui inter Comites VVettinenses, VVittekindi posteros, clari fuerunt, a quibus principes nostri, si non per masculos, per feminas tamen ortum suum trahunt, de quo argumento legendus est illustris C. S. Schurzfleischius in dissertatione de VVittekindo Magno (ee) FRIDERICUS Conradi Magni Marchionis Misniae, Conditoris Ducum & Pr. Elector. Saxoniae, filius, natu minimu pietatis, & literarum amator coenobia ad Tzschopam in Marchia Orientali condidit, ut in iis, pro more seculi, studia excolerentur, de qua re testatur Eccardus in Saxonicis originibus. FRIDERICUS fortis, Thuringiae Landgravius, Misnensis & Orientalis, Marchio Dominus terrae Plissensis, cujus gena a matre, Margaretha, FRIDERICI II. Imperatoris Romano Germanici, filia ob mariti, Alberti degeneris, furorem, fugam clandestinam parante, admorsa, tanta virtute pro libertate patriae pugnavit: ut, superatis & devictis hostibus, una cum civibus suis, pacis fructibus frueretur. Puer adhuc, a patre derelictus, a Dieterico, patruo, omnibus virtutibus, Principe dignis, in Misnia institutus est, qui cum praestantem ejus indolem perspiceret, saepe eum adhortatus est: ut libertate & tranquillitate patriae nihil carius, & amore & salute civium nihil antiquius haberet. Quae spes de eo concepta optimum patruum non fefellit. Liberavit enim patriam, multis belli periculis, & difficultatibus a patre, Alberto, Adolpho, & Alberto, Imperatoribus Romanis, & Philippo Nassovio, illatis, &, prout ipse pietatis & virtutis semina in aula Dieterici menti suae instillaverat, ita, quantum temporum illorum conditio ferebat, in finibus suis propagare ea operam impendit. Victis & profligatis hostibus, pace populum refecit FRIDERICUS, eumque artes & studia colere jussit, & Deo gratias decernendas curavit, quod, jugum exterorum principum a cervicibus depulisset, suoslique beros precibus Deum implorare hortatus est: ut pacis bona, perpetuo servaret. Mores hujus Principis exponit monimentum sepulchrale (ff) quod virtutis alumnum, & pacis amicum appellat. FRIDERICUS severus f. gravis, tam eximio justitiae, pacis tempore exercendae, flagravit ardore, ut severi nomen

(ee) Num XXX.

(ff.) Tenzelius in supplemento II. hist. Gothanae: Confer Seligman. Exercitat. Academ. de Friderico Admorso.

men obtinuerit. Fama ejus brevi temporis spatio in Germaniae finibus percrebuit, ut post mortem Ludovici Bavari, Imperatoris Romani, soceri sui, dignitas Imperatoria ab omnibus Germaniae Principibus ei oblata sit, quam sapienti consilio detrectavit, & Carolo IV. Imperatori tribuendam (gg) concessit. Neque hac laude defraudandus est FRIDERICUS strenuus, qui totus in eo fuit, ut civium suorum salutem promoveret, eisque laeta & tranquilla tempora redderet, ut singuli res suas peragere, & in summa tranquillitate vivere possent. Latrocinia in finibus Misniae per fratres repressit, & ipse in Thuringia tumultum, inter Northusanos & Comitem Hohensteinium, composuit, & multa pro sua prudentia effecit. Gratus & acceptus Carolo IV. Imperatori Romano, literarum scientia & doctrina polito, fuit, qui ejus opera & auxilio (hh.) in disturbandis hostium conatibus est usus

In horum numero & virtutis gloria, & literarum amore praestantissimus fuit FRIDERICUS Bellicosus, qui a variis bellorum generibus, in quibus fortuna eum exercuit, cognominatus tantam sibi famam, multis variisque praeliis felici auspicio commissis comparavit, ut nemini quicquam labore in negotiis, fortitudine in periculis, industria in agendo, & consilio in providendo concederet. Haec gravia & periculosa bella pacis causa gessit, & duros asperosque labores, quod de sapientibus Sallustius confirmat, spe otii sustentavit. Cum, Alberto III. Septemviro Saxoniae placide defuncto, nemo esset, qui virtutis praestantia, meritorum dignitate, & sumtibus in tetrum & periculosum bellum Hussitarum factis, Imperatori Romano, *Sigismundo*, dignior videretur, FRIDERICO nostro, cui haec dignitas committi posset, communi omnium suffragio eam obtinuit, & non sine maximo suorum emolumento administravit. Primus inter Misniae Marchiones, & Duces Saxoniae fuit, qui, nova honoris accessione auctus, regionis suae fines Academia, a se Lipsiae anno M CCCC I X. condita, illustravit, cum bis mille studiosos, ob dissidium Pragae ortum, advolantes, & praesidium ac perfugium apud se quaerentes videret. Ita suo exemplo docuit, quanta ex litera-

---

(gg.) C S. Schurzfleischius in not. ad Mich. Bojem: Albert. animosum.
(hh.) Georg. Fabricius Origi: Saxon, L. VI. p. 681.

rarum usu commoda & ornamenta in rempublicam proficiscerentur. Lectu digna est Io Friderici Franci Oratio de origine, incrementis, & fortuna Academiae Lipsiensis, quae merita ejus pro dignitate recenset.

Felicissimi quoque nominis Princeps & Septemvir fuit hujus filius, FRIDERICUS Placidus, qui pacis dulcedine captus rempublicam bonis legibus munivit, & tanta animi lenitate in suos usus est, ut indulgentissimus & benignissimus patriae Pater non immerito diceretur. Imaginem boni & felicis Principis, non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum aliis reliquit, cum Principes duos, ex Margaretha Austriaca, sorore FRIDERICI III. Imperatoris Romani, natos, *Ernestum*, Rochlicii anno M CCCCXLI. & *Albertum* animosum, in arce Grimensi anno M CCCCXLIII. Calendis Augusti in lucem editum, omnibus virtutibus & scientiis, tantis universae stirpis Saxonicae conditoribus dignis imbuendos curavit, & Academiam Lipsiensem, a beato Patre conditam, inter tot armorum strepitus & tumultus ab hostium incursionibus tutam (ii.) & a variis casibus immunem conservavit.

Pleni sunt Saxonum & Germanorum annales, plenae sapientum voces de meritis in utramque rempublicam FRIDERICI Sapientis, Pr. Electoris, qui natura ad omnes pacis artes, & ad humanitatem factus, & nihil prius & majus civium suorum salute habuit. Hic universam rem Christianam, & praecipue Academiam Vitembergensem, verae de Deo doctrinae, & omnis elegantioris eruditionis sedem, Anno M D II. conditam (kk.) adeo sibi multis rebus in patriae emolumentum gestis devinxit, ut certatim eruditi ejus laudes prosequerentur, & instar Numinis terrestris eum observarent. Cujus facta immortalitate digna licet omnibus notissima sint, repetendo tamen majorem vim habebunt, & altius in animos legentium demittentur iis quidem verbis, quibus Georgius Spalatinus, qui a concionibus ei fuit, in epistola (ll.) ad Jo. Reuchlinum usus est scriben-

(ii,) Conf. Carol. Otton. Rechenbergii de meritis Saxonum in imperium Romanum & Domum Austriacam p. 19.
(kk.) Andr. Sennerti Athen. Vitembergens. p. 14.
(ll.) L. I. Epist. 90.

bens:Mirum, qua religione DEum praepotentem & ſuos ſuſcipiat FRIDERICUS, qua caritate bonos amplectatur qua munificentia Mutianum & me, & eruditiſſimum quemque proſequatur, qua denique fide juſtitia, integritate, vigilantia, tot gentibus imperet. Dices, vel„ *Ptolomaeum*, vel *Iulium Caeſarem*, vel Carolum alterum„ ſi audires quantis ſumtibus Academiam Vitembergae architectatus„ quanta excolat diligentia, liberalitate, induſtia, quantis muneribus illuc e-„ ruditos Profeſſores contrahat, quot Sacerdotiis ampliſſimis a„ fundamentis templum, Divis omnibus ſacrum, auxerit. Vere„ maximus princeps, & maximo imperio non indignus. Quae ornamenta animo ſecum perpendens illuſtris C. S. Schurzfleiſchius peculiari Diſſertatione (mm) complexus eſt, ex qua ſatis apparet, quod princeps totius Europae graviſſimus, reipublicae, rerumque Germanicarum adſertor, literarum parens, & ſcholarum patronus, &„ dignus ſumma Imperatoris Romano Germanici dignitate ab omnibus ei oblata fuerit. De qua re Eraſmus Roterodamus, vir magni" nominis, non minus eleganter, quam prudenter, in epiſtola ad" Joannem, Epiſcopum Roffenſem, ſcribit: Dux Saxoniae FRIDERICUS ab omnibus delatum imperium ingenti animo recuſavit," idque pridie, quam Carolus V. eligeretur, cui nunquam contigiſſet" imperii titulus, niſi FRIDERICUS deprecatus eſſet, clarior honore con-„ temto, quam fuiſſet, accepto. Conradus Celtes, qui primus Pöeta in Germania, Imperatoris FRIDERICI III. manibus coronatus eſt, in Praefatione & epiſtola operum Hrosvvithae Gandesheimenſis Sacerdotis, FRIDERICI noſtri merita praedicat, & ingenue fatetur: tantum ejus in literas & religionem Chriſtianam amorem eſſe, ut fa„ cile omnes Germaniae principes, multos etiam Praeſules, ad quos lite-„ rarum cura & patrocinium jure ſpectare deberet, ſuperet. Laudat" quoque in eo, quod ſingulari prudentia, conſilio, pacis & concor-" diae ſtudio clarus ſit, multasque impenſas pro principum Germaniae" concordia, & firmanda Italiae, Galliae, & Germaniae pace, & unione fe-" cerit. Confer. Edit. Oper. Hrosvvithae H. L. Schurzfleiſchii Vitem-" berg. MDCCVII. Digna ſunt verba, quae ejus temporis ſcriptor Pega-„ vienſis de laudibus hujus principis conſignavit, quae hoc loco (nn.] „

C repe-

(mm) Volum. diſſert. n. 31 de Friderico Sapiente.

(nn) Conf. Chytr. in Saxon. p. 52.

repetantur: FRIDERICUS, Dux Saxoniae, Elector, & Ensifer Imperii, juxta nomen suum, *dives amator pacis*, & prudentissimus princeps, „Sapientiae domicilium, consiliorum thesaurus, defensor legum, contro„versiarum finis, imperii Romani columen, munimentum patriae, „morum speculum, decus Principum, & disciplina Ducum, quem ejus„modi virtutibus ornatum veluti parentem, ac Numen, coelitus mis„sum plebs ipsa tota & veneratur, & diligit. Decus Majorum perpetuum, constans, & Domui Saxonum proprium, insigni laudis accessione cumulavit Joannes FRIDERICUS, quem recordatio gloriosi patrui sic accendit, atque inflammavit, ut avitae laudis imitatione pacem quietemque stabiliret, & praemia pariter eruditis in Saxoniae finibus constitueret, Scholas, a Majoribus conditas, conservaret, & numerum earum augeret. Facem jam ei, Pater optimus, Joannes Constans, praetulerat, qui a veritate purioris doctrinae, bonarum artium, & linguarum subsidio in provinciis Saxoniae excitatae, nullis praemiis & bellicis rationibus deduci poterat. Quae egregia animi vis diffusa in filium Jo. FRIDERICUM, Magnanimi nomine insignem multo, illustrior apparuit, quippe qui nullis sumtibus, in aperiendis ornandisque Scholis, pepercit, & plura, quam omnes sperarunt, & majora, quam cogitarunt, perfecit. Illustre Gymnasium Gothanum primam fere originem ei debet. Postquam enim auspiciis Serenissimi Patris, Joannis, Ducis & Electoris Saxoniae, disjecta Pontificiorum doctrina, aperta erat Schola, Princeps noster reditus ad viginti quatuor pueros, una cum famulo gratuito, nutriendos erudiendosque constituit, & optimos Praeceptores (oo) eis praefecit. Aeternam ejus nominis memoriam conservat nova Jenae condita Academia, ubi FRIDERICUS primum Gymnasium Academicum erigere secum constituerat, anno MDXLVIII. eo tempore, quo, post infeliciter habitum ad Muhlbergam praelium, a Carolo V. Imperatore captivus detinebatur, ex quo postea, cura trium Serenissimorum filiorum, Academia originem traxit, quae anno MDLVIII. bibliothecam, Vitemberga translatam, obtinuit. Plura de hac re celeberrimus Schmeizelius, Professor Academiae Jenensis, cum erudito orbe, ut spes facta est, communicabit. Constat inter omnes: quantis beneficiis auxerit Jo. FRIDERICUS Academiam Vitembergensem, & quantos Professo-

(oo.) Conf. Ludovici histor. schol. p. I. p. 19.

fefforibus illius reditus, ex variis coenobiis, in finibus Saxoniae fitis, attribuerit, & ftudiofis bonarum artium ftipendia conftituerit, quae omnia Jo. Sebaftianus Müllerus in Annalibus (pp) accurate commemorat. Hoc tacitus praeterire non poffum, quod Philippus Melanchthon, communis Germaniae Praeceptor, de Jo. FRIDERICO noftro, audiente olim Francofurti Jo. Sturmio, aliisque viris clariffimis, affirmare non dubitavit; plura hunc Principem legendo & fcribendo quotidie peragere, quam ipfum Philippum, & Hieronymum Schurfium, Juris confultum, quos duos in legendo & meditando ceteros, qui Vitembergae tum erant, fuperare, conftans opinio erat. Patris optimi, licet injuria temporum infelicis, exemplum fecuti funt filii, praeter *Joannem Guilielmum*, Jo. FRIDERICUS II. & Jo FRIDERICUS III. Duces Saxoniae, qui cum a prima jam aetate a Doctoribus, eruditione claris, percepiffent: Nihil melius, nihil Principe dignius effe, quam de literis, earumque cultoribus, bene mereri, & dignitatem ac praeftantiam eruditionis rebus omnibus anteferre, fimilem plane voluntatem, & amorem demonftrarunt, & id fedulo egerunt, ut veftigiis patris infifterent, & maxima omnium ordinum celebritate die XVI. Februarii anni MDLVIII. Academiam Jenenfem, quafi campum exercendae induftriae, aperirent, ubi, & pofterior FRIDERICUS III. ftudiorum caufa commoratus diem fupremum anno MDLXV. obiit. In qua folemni Academiae inauguratione ipfe Joannes FRIDERICUS II. gloriofi Patris, fuum, & fratrum Sereniffimorum, in literas, vel literarum officinas, amorem Latina oratione, non fine omnium laetitia & gratulatione, teftatus eft, & privilegiis, quae Carolus V. & Ferdinandus I. Imperatores, concefferant, tum iis, quae ipfe dederat, Academiam ornavit. Fuit enim hic princeps in literarum ftudiis egregie verfatus, ita, ut in primis pueritiae annis in arce Torgavienfi coram fereniffimo Patre orationem haberet fatis elegantem, eamque decenti actione condecocaret. Biennio poft, cum altioribus in Academia Vitembergenfi difciplinis imbutus effet, in confeffu Summorum Principum verba fecit, quae profert G. Fabricius (qq) in Saxoniae originibus,

 Nulla

(pp) Anno 1533.
(qq) Lib. VIII. p. 50. Jo. Seb. Mulleri Annal. Saxon.

Nulla horum Saxoniae FRIDERICORUM gloria fuit, quam non FRIDERICUS *Guilielmus*, Dux Saxoniae, Magnanimi, ex *Joanne Guilielmo*, Vinarienſi, nepos, aſſecutus, qui Altenburgi primo ſedem habuit, poſtea *Chriſtiano* I. *Septemviro*, rebus humanis erepto, in arce Torgavienſi ProSeptemvir, & Tutor Principum, filiorum *divi Chriſtiani*, *nimirum Chriſtiani II. Joannis Georgii*, & *Auguſti*, conſtitutus eſt. Hic nomine & munere ſuo nihil dignius, nihilque civibus praeſtantius, exiſtimavit, quam partam ſemel pacem tueri, aut interruptam reſtituere, & conſervare, ut omnes in tranquillitate conquieſcere, & Muſis operam navare, & bonas artes, ac diſciplinas, & verae religionis doctrinam, ex Sacro DEi verbo deſumtam, in Scholis promovere queant. Quia enim indulgentiſſimus Princeps literis & linguis optime inſtitutus fuit, non minus oblectamenta vitae, quam praeſidia prudentiae, & eruditionis, in humanioribus literis poſuit. Officinam Typographicam nitidis, iisque argenteis typis exornatam, in arce Torgavienſi inſtruendam curavit, cui ſaepius, quantum per negotia publica licuit, interfuit, artis hujus haud imperitus, & libris imprimendis, omnique cura & ſtudio emendandis intentus, Commemorat multos libros, in hac illuſtri Torgae Officina typis impreſſos, quorum copiam bibliotheca Sereniſſimi Ducis Gothani poſſidet, celeberrimus Tenzelius (rr.) in colloquiis per ſingulos menſes editis: Lutheri nimirum *Sermones Sacros*, per M. VVanckelium, Profeſſorem Academiae Vitembergenſis, in Latinum converſos, *Jo. Claji* Herzbergenſis, *Explicationes anniverſariorum Evangeliorum*, & *Meditationes ex hiſtoria paſſionis Chriſti* Carmine redditas, tribus Tomis, in forma quarti ordinis, quae in Gymnaſio illuſtri Grimenſi, ex mandato hujus Principis, noſtra ad hunc aetate, diebus ſingulis Dominicis, & feſtis, inter coenam praeleguntur: & *Antonii Guevara*, *Horologium Principum* a Jo. VVanckelio, ex lingua Caſtellana, adhibitis Gallicis, & Italicis verſionibus, Latine redditum, & ipſius *Principis Horarum ſubciſivarum exercitationes*. In hujus poſtremi libri praefatione, &

(rr.) Anno MDCXCIIX, p. 606.

& pietate & eruditione, referta, pupillos Principes alloquitur, eosque laudabili suo exemplo ad sedulam optimorum auctorum lectionem, & in scribendo exercitationem, & inprimis ad pietatis studium, verbis, tanto Principe dignis, incitat. Minus molestum erit lectori, qvaedam ex hac praefatione hoc loco apponere, quibus amorem in literas declaravit: Inter alias qvidem graves curas, „Illustrissimi Principes, agnati & pupilli carissimi, quibus in tutela, „vestra, distringimur, nullum praeterire diem patimur, quo non in „lectione bonorum auctorum, & studio Latinitatis aliquid legamus, „& meditemur. Artium enim & humanitatis studia tantum abest, „ut â nobis aliena esse concedamus, ut etiam cuivis bono Principi „summo esse ornamento eadem, censeamus. Homines enim cum & „ipsi simus, cur non in iis studiis, post pietatis exercitia, & curas „gubernationis vacemus, quae, juventutem decent, virili aetati „prosunt, senium oblectant? In ea ipsa animi recreatione illud Apellis „accurate observamus: *ne dies sine linea* (ss.) Tanta enim vis est „diligentiae & exercitationis, ut nihil sit, quod non expugnet pertinax opera. Quanta benignitate & favore Scholas complexus sit, loqvitur Academia Ienensis, in qua Rectoris Magnificentissimi dignitatem obtinuit, cui Celsissimus Princeps octies mille florenos, cum sumtus minus sufficerent, pro sustentandis Professoribus Anno MDLXXX donavit, de qua liberalitate Annales Mulleri Saxonici (tt) legendi. Loquitur Athenaeum Altenburgense, quod multa & egregia ab eo obtinuit beneficia. Praedicant FRIDERICI GUILIELMI gratiam Doctores Gymnasii illustris Grimensis, quibus singulare beneficium ex censu, qui ex zytho coquendo redit, singulis annis, Diplomate publico persolvendum, jussit. (uu) Plura de hujus Ducis & ProSeptemviri in literarum Doctores, & Scholas, amore commemorare possem, & ea praecipue, quae, auctoribus & suasoribus prudentissimis, omnique doctrina politissimis viris, Davide Peisero, sanctioris consilii Praeside, & Mario Gerstenbergio, Cancellario

 „in

(ss) vid. Tom V. Miscellan. Lips. p. 6.

(tt) An. 1580. p. 176. 206.

(uu) Anno MDXCIII. d. 19. Octobr.

„in salutem patriae suscepit; sed vereor, ne lectori molestus videar. „Qui omnia scire desiderat, evolvat Origines Lipsienses Davidis Pei-„feri & hujus quidem vitae expositionem, quae praemissa est. Annales item Mulleri, & quae in Miscellaneis Lipsiensibus (vv vv) â celeberrimo Scholae Portensis, illustris Rectore M. Jo. Davide Schrebero, sunt observata. Placent inprimis Joannis VVanckelii verba, in praefatione Horologii Principum Guevara de hoc Musarum Patrono, quorum non sine animi voluptate recordor: Quicqnid tem-„poris negotiorum necessariorum curatione supererat huic Principi, „id omne auctorum optimorum lectione impendebat, cujus rei „testes oculatos laudare possum, non eos tantum, qui assidui circa „eum fuerunt, sed etiam eos, quibus vel semel ipsum adire, & salu-„tare licuit. Quorum nemo sinelibris Principem studiosissimum, „in cubiculo,ad mensam, intemplo,in venatione, in itinere, domi,ac per „egre vidit, ut qui neque valetudinis respectu, neque ullorum moni-mentis,ab hoc instituto avocari sese pateretur.

Filius ejus, FRIDERICUS GUILIELMUS, Dux Altenburgensis, licet in gravissima belli tricennalis tempora incideret, & variis praeliis interesse cogeretur, non omisit tamen Scholas & literas amare, & Tomos Lutheri Altenburgenses suis sumtibus typis imprimendos curavit, & viris de republica literaria meritis, multa beneficia praestitit, quae usque ad annum aetatis sextum & sexagesimum, quo placide defunctus est, conservavit, unicum relinquens filium (xx) FRIDERICUM GUILIELMUM III. ceteris jam morte ereptis, qui optimis quidem artibus & scientiis á Tutore, Jo. Georgio II. Pr. Electore Saxoniae, est institutus, sed praeter opinionem, anno aetatis decimo quinto, defunctus, postremus totius hujus stirpis Princeps.

FRIDERICUS, Joannis, Ducis Saxonici Vinariensis filius in primis adolescentiae annis optimis scientiis & disciplinis, praesertim Historia, duce & auctore Friderico Hortledero, Consiliario

(vv vv) Tom. V. p. I. seq.
(xx) Memorabil, Histor, Saxo p. 559.

liario, diligenter operam navavit, & cum fratre, natu maximo, *Ioanne Ernesto*, in Academia Jenensi multos annos viros, omni eruditionis genere praestantes, audivit. Commigravit postea ad studia ulterius excolenda Ultrajectum ad Rhenum, ubi diutius versatus fuisset, nisi ob desideratissimae matris infirmitatem in patriam revocatus esset. Majora in scholas, earumque Doctores, beneficia contulisset, nisi in turbis Bohemicis á partibus Friderici V. Palatini stetisset, & in praelio infelici cum Hispanis An. MDCXXII. ad Floriacum cecidisset.

FRIDE-RICUS Dux Vinariensis, Guilielmi Magni filius, insignis literarum fuit amator, quibus in Academia Ienensi An. MDCLIIII. addictus fuit. Scholas in pretio habuit, easque augere & beneficiis ornare, quaesivit, de qua re legendus est Fridericus Hortlederus, in dedicatione libri de bello Smalcaldico, huic Principi sacrata. Praematura morte, praeter omnem spem, extinctus est, multisque desiderium sui reliquit.

Eandem famam & gloriam consecutus est FRIDERICUS I. gloriosae memoriae Dux Gothanus, ex nepte FRIDERICI GUILIELMI, Elisabetha Sophia, cum *Ernesto pio* connubii foedere juncta, felici omine, natus, cujus pietatis, prudentiae, & justitiae documenta omnibus fere locis praedicantur. Ut enim â Divo Patre, *Ernesto*, Principe, verae pietatis laude in oculis omnium exsplendescente, & amore literarum & Scholarum flagrante, in prima aetate, divinae religionis, doctrinae, & sapientiae studiis, omni diligentia & cura, in patria non minus, quam Academiae Argentoratensis luce, institutus erat: ita decus hoc literarum, Serenissimae Domui Saxonicae proprium, firmo semper animo retinuit, & animum semper, Majoribus similem, praestare contendit. Varia Europae regna, & mores populi ut spectaret, ex optimi Patris consilio, nonsolum splendidisssimas Germaniae urbes perlustravit, sed Gallos, Danos, Allobrogas, Italos, Belgas, Venetos, aliosque, adiit, & maximorum Regum & Principum, inprimis Galliae Regis, honore, & apparatu regio, acceptus, eximiis virtutibus in patriam rediit, quam á Patre, & pietatis

tis

tis & doctrinae amantissimo, traditum, & pacis & literarum ornamentis, per decem & septem annos, augere non intermisit. Ienensem Academiam inprimis patrocinio suo tuendam curavit, cujus jura & immunitates a multis exagitari intelligebat. Novae Academiae, ex Gymnasio Coburgensi Academico, instituendae jura amplissima ab Imperatore Romano, *Leopoldo*, suo serenissimorumque fratrum, nomine An. MDCLXXVII. impetravit, quod Diploma Anno. MDCCV d. V. Non. Quinctiles, Serenissimorum Ducum Saxoniae auspiciis, promulgatum, & consilii istius, ad exitum deducendi, spes confirmata est (yy.)

Omnes quidem & singuli, fide & obsequio obstricti, cives repentinum hujus felicissimi Principis obitum Anno MDCXCI. deplorabant, eumque votis & precibus ardentissimis desiderabant; animos tamen suos, firmo solatio erectos confirmabant, cum, peracto biennio, quo beate defuncti fratres celsissimi, *Bernardus*, & *Henricus*, regiminis curam, una cum tutela Heredis Principis, in se susceperant, divum Genitorem non ereptum, sed in Serenissimo filio, FRIDERICO II. felici auspicio Anno MDCLXXVI. die XXVIII. Julii nato, mutata persona redditum esse, viderent. Hic enim, pro egregio suo in patriam amore, & eximia, qua se ornatum declarabat, prudentia, quam assidua primae aetatis institutione, variisque per Bataviam, Britanniam, & Belgium, factis itineribus, acquisiverat, nihil sibi prius in rebus gerendis, accepta a Divo Leopoldo, Romano Imperatore, aetatis venia, agendum putavit, quam ut, suavissimi nominis sui memor, in Patriae finibus pacem & quietem stabiliret, & civium salutem, rerum & negotiorum incrementa, in dies augeret. Quo animo cum nostra adhuc aetate sit *Princeps serenissimus*, omnes boni & prudentes cives, una voce & sententia, hunc verae religionis Assertorem diu in terris versari optant, quem non aliter, ac in Patris loco, ducunt. Benignitatem hujus FRIDERICI *felicissimi* Nobiles agnoscunt, civitates collaudant, praedicant rura, pauperes experiuntur, & certatim omnes admirantur,

---

(yy) videatur Dn. Philippi Theodor. Verpoorten. discrepantia Dei, & hominum de scholis judicia p, 50

tur, & in finibus ejusdem rerum & fortunarum suarum sedem figere gestiunt. Musae inprimis de hujus (zz) *celsissimi Ducis* salute & incolumitate sibi gratulantur, quae, passim spretae, & abjectae, praemiisque fraudatae, in auspicatissimi nominis FRIDERICO II. Duce Gothano, custode & defensore, praesidium obtinuerunt. Praeterquam enim, quod multa, tanto *Principe* digna, munificentiae exempla, in ornatissima, & raris admodum libris, manu exaratis, & antiquis monimentis refertissima bibliotheca Gothana, in dies augenda, praestat, scholam etiam illustrem, a Divis Majoribus, a *Joanne* Pr. Electore Saxoniae, disjectis Pontificiis, Gothae apertam, a Jo. FRIDERICO confirmatam, & a *Jo. Casimiro* amplificatam, maximis beneficiis augere & amplificare studet, ut tam docentes, quam discentes, non quasi Principem, sed Patrem, intueantur. Quid dicam de schola Altenburgensi, quae sub ditione & regimine hujus Principis floret? Haec grata mente praedicat maxima summi hujus literarum Statoris in se merita (aaa), & post fata laudes ejus ad omnem posteritatem transmittet. Anno MDCCXII. in Gymnasii illustris formam eam redigi curavit, & plures Classes instituit, melioresque docentibus Lectiones habendas praescripsit, quae in Historia scholarum celeberrimi Ludovici (bbb) commemorantur. Taceo praetereo domicilium splendidum Anno MDCCV. Altenburgi a serenissimo Principe conditum, in honorem, & nominis *Celsissimae Conjugis* memoriam, *Magdalenium* appellatum, in quo virgines, nobili genere natae, virtutibus, ordine suo dignis, instituuntur. Non sinit instituti ratio, omnia & singula hujus *summi Ducis, & optimi Principis*, monimenta, in salutem patriae facta, enumerare, quorum tanta est multitudo, ut eorum in praesens inire numerum non facile queam. Hoc praeterire non possum, omnes fide devinctos cives in votis habere, ut Deus, qui nutu suo cuncta dirigit, in sinu, & complexu suo hunc indulgentissimum Patriae Patrem foveat, una cum Conjuge Celsissima, & tota Domo Gothana florentissima, consilia & expeditiones ejus fortunet, omniaque divina & humana bona cumulatissime impertia-

 tur

(zz) Mulleri Annal. Sax. p. 641.

(aaa) Conf. Ludovici Hist. Scholar. P. I. p. 19

(bbb) P. V. p. 241.

tur. Spem pariter certissimam omnibus facit Serenissimus FRIDERICUS, filius, virtutis & gloriae paternae Heres, fore, ut maximi Patris merita, rebus factisque exaequet, & non minus literas, pacis tempore florentes, quam scholas, literarum officinas, â Divis Majoribus summa cura atque providentia conditas, conservet, & Professoribus praemia, pro gravissimis laboribus constituat. DEO igitur pro ea, qua decet, pietate supplicant singuli, ut firma semper valetudine, & felicitate hunc, in salutem patriae natum, Principem conservare velit. Adsunt quoque sex Principes, & Duces Serenissimi, *Guilielmus, Jo. Augustus, Christianus Guilielmus, Ludovicus Ernestus, Mauritius, Jo. Adolphus*, ad omnes fortunae Principalis rationes optime instituti, qui decus Majorum perpetuum, & tantae hereditatem laudis, verae religionis praesidium, & literarum decus, aeterna serie conservabunt. Neque minus *Er nestus* FRIDERICUS, Patre *Ernesto*, & matre, *Sophia Henrietta*, Georgii FRIDERICI, VValdecciae Principis filia natus, quem Deus in salutem patriae conservet, Majorum, virtutis & literarum gloria clarorum exemplo incitatus Gymnasium illustre, Hildburghusae conditum, multis praemiis ornavit.

Quem insignem in literas earumque officinas, amorem, a beatis Majoribus traditum, etiamnum servat Potentissimus FRIDERICUS AUGUSTUS, primus ex gente Saxonica, Stirpis Albertinae Rex Sarmatarum electus, & Pr. Elector Serenissimus, qui praestantissimis scientiis & virtutibus ornatus Germaniam, Hungariam, Italiam, Galliam, Hispaniam, Belgium, aliasque provincias (ccc) peragravit, & ubique fere locorum Reges & Principes in stuporem adduxit. Hic omni studio, quoad rebus Saxoniae praefuit, id egit, ut optimis pacis ornamentis patriam confirmaret, & tutam literis sedem in ea praestaret, & Scholarum dignitatem conservaret, more & exemplo Augusti, Caesaris Romanorum potentissimi, Bellis qvidem variis, quibus Germania nostra, ob callida Gallorum consilia & Turcarum impetum exagitata, & quibus Saxonia nostra, ob Suecorum impressionem, perturbata fuit, pro incredibili sua uirtute, interesse coactus est Achilles noster Saxonicus, & Heroum facile Princeps, sed ita tamen iis interfuit, ut difficili admodum

(ccc) Giovanni German. Princeps, p. 89.

modum belli tempore veri nominis FRIDERICUS, & in extremis angustiis cognitus sit AUGUSTUS. Gessit enim bella contra Gallos pro libertate & pace Germaniae & patriae confirmanda, & vires Turcarum, exitium nobis minitantium, tanta felicitate obtrivit, ut non minus acerrimus libertatis Germanicae propugnator, quam terror atrocissimorum hostium sit appellatus. Ut enim pacem eo maturius patriae, hostibus profligatis, redderet, ipse ante signa in praeliis stetit, & laborantibus, pro sua virtute, & prudentia, subvenit, & viam denique ad dissipandos, & superandos impetus commonstravit. Qua virtutis & pacis recuperandae gloria in Europa cum floreret FRIDERICUS AUGUSTUS, mirum nemini videri debet, gentis Polonicae Proceres ad Regiam dignitatem capessendam, quae omnium in terris maxima est, hunc pacificum, hunc prudentem, hunc felicem Principem iis temporibus invitasse, quem solum ex tam multis Europae Principibus diademate regni dignum existimarunt. Tot votis & desideriis expetitus, neglectis suis commodis, dignitatem Regiam in se suscepit, ut Germaniae salutem contra Gallorum conatus tueretur, & fines ejus, crebris bellis oppressos, ab illa parte tutos (ddd) redderet & securos. In hac pace bellii studiis acquisita, Scholas inprimis & literas conservat Rex noster, & Princeps El. potentissimus, & pro singulari in omnes bonas artes, linguas, & scientias, amore in dies fere singulos augere contendit. Sicut enim ingenium, scientiis & lingvis egregie excultum, peregrinationis usu politum, & multiplici rerum experientia abunde confirmatum habet: ita Scholas, sedes sapientiae, in patria constitutas, & Academias, tuetur, in quibus adolescentes, & juvenes, literarum cultores, in patria natos, per biennii spatium studiis operam navare jussit, & omnes fere eximiis stipendiis, ad capessendam eruditionis praestantiam, invitavit, & beneficiis in victum, & studiorum incrementum attributis, vehementer incitavit. Laetatur Lipsiensis Academia beneficiis maximis, variisque clementiae & gratiae signis, a benignissimo Patriae Patre exhibitis. Gratulatur sibi Vitemberga de propensa potentissimi Regis nostri voluntate, & cura paterna, qua non ita pridem Academiae splendorem auxit, & discussis rationibus, copiosius ornavit, & literarum incrementa

(ddd) Cl. Struvius Tract. de officiis Imper. Saxon p. 30.

optime constituenda curavit. Loqvuntur Scholae Principales à Divo quondam Mauritio, Saxone, conditae, à FRIDERICO AUGUSTO conservatae, & inter eas nostra, Grimae aperta, quae inter maxima beneficia, benignitati Regis optimi attribuit artium Mathematicarum studium, quo & dinumerandi modos, & dimetiendi mensuras, siderumque coelestium rationem, & scientiam, ac orbis terrae situm, à Doctore, publice constituto, percipiendi facultatem sunt consecuti adolescentes, eo tamen modo, ne in linguarum, & disciplinarum, rerumque sacrarum cognitione, detrimentum paterentur. Nihil jam addo de reliquis ornamentis, vel ad morum eleganitam, & compositionem promovendam, vel externum modestiae cultum inter prandendum, & in Museis, ab Alumnis observandum, ab hoc Serenissimo Patriae Patre, svasoribus summis aulae Proceribus, institutis. Quid dicam de Academia equestri, quae Palaeo Dresdae, auspicio Regis nostri serenissimi, est condita? Haec omnia Regia sunt beneficia, & munera, quorum memoria non facile exolescet, neque ulla unquam posteritas committet, ut tot tantaque monimenta, aut oblivionis culpa, aut negligentia corrumpat. Faxit DEUS immortalis, ut diu rebus nostris praesit optimus literarum Maecenas, FRIDERICUS AUGUSTUS, Rex potentissimus, & Pr. Elector indulgentissimus, ut ejus praesidio omnes totius Saxoniae cives tuti pacis ornamentis frui, & verae doctrinae, sapientiae, & literarum Officinas, singulari cura conservatas, & auctas, ab omni periculo, & impetu, immunes retinere queant. De Regio Principe, FRIDERICO AUGUSTO, Herede, in spem successionis, & praesidium gentis d. VII. Oct. ipso Spei die nato, jam a primo illo tempore, quo anno MDCXCVI. hanc lucem, felici auspicio, adspexit, spes concepta est certissima (eee) fore, ut neque virtutis gloria, neque literarum & Scholarum amore, Divis Majoribus unquam cedat, & ***Patrem Magnum***, ***&*** ***Martium***, rebus factisque exaequet. Praebuit multa hujus rei & exspectationis documenta, optimis scientiis, tanto Principe dignis, a prima aetate, in patria, & in variis itineribus septem annos per Europam susceptis, sedulo institutus. Quo felici, & in patriae salutem donato Principe,

(eee) Memoral. Saxon. p. 1023.

pe ut diutius frui, ejusque inusitatae benignitatis ac clementiae fructibus gaudere queamus, precamur divinum praepotensque Numen, ut ab omni morborum & periculorum offensione salvum EUM, & incolumem praestare, & *Conjugem serenissimam*, & utriusque sexus Sobolem celsissimam, & praecipue FRIDERICUM, unicam adhuc spem patriae relictam, conservare velit. Confirmet DEus mentes Parentum Serenissimorum, praematuro & repentino obitu beate defuncti *Josephi Augusti*, Principis excelsae indolis, & optimae spei, tristitia & dolore perturbatas, & in locum ejus reddat iis Principem, qui ore & vultu clementiam, mente & animo prudentiam, & aetate gravitatem, & constantiam, declaret.

X.

Progredior ad FRIDERICOS, quos Serenissima Domus Brandenburgica produxit, non minus doctrinae, & sapientiae, studiis, quam insigni in literas, scholas, earumque doctores, per totum terrarum orbem celebratos. Virtutis quidem laude & gloria, quam variis sibi bellis paraverunt, clari fuerunt primi illi FRIDERICI, ex Burggraviis Norimbergensibus Pr. Electores Brandenburgici facti; rempublicam tamen, quam armis tutam & quietam reddiderant, bonis legibus, & literis ornarunt, adductis in patriam viris, eruditione claris, quibus juventutis educandae ratio committi posset. FRIDERICUS primus, Septemuir electus, linguae Latinae studio, ut tum fuerunt tempora, deditus, insigni animi virtute ac prudentia tantam nominis famam sibi acquisivit, ut communi omnium suffragio dignitatem illam obtineret. Eloquentiae studio se admodum commendavit, & ita pacis & justitiae amans fuit, ut suis etiam civibus bonarum artium fructus commendaret, & pacis bona pararet. Quae omnia in vitae ejus expositione illustris Gundlingius persecutus est.

FRIDERICUS II. Filius ejus, virtute quidem belli maximam sibi laudem acquirere laboravit, qui ob multa, quae pertulit, pericula, ferreus est dictus. Hic, compositis belli tumultibus, pacem inter suos conservavit, & scholarum curam, eo modo, quo illa aetate fieri poterat, sedulo egit.

Majore

Majore vero cura & studio literas, doctrinas, & scholas prosecutum esse JOACHIMIM FRIDERICIM, tradunt rerum Brandenburgicarum scriptores. Hujus laudes maxime celebrat Academia Francofurtana, cui sumtus, ut alia beneficia omittam, ad primum Iubilaeum anno MDCVI. majore celebritate & apparatu peragendum, necessarios suppeditavit Magnam quoque & eximiam nominis gloriam ex fundatione Gymnasii in Valle Joachimica anno MDCVII. sibi conciliavit, quod demum Berolinum translatum est, ubi nostra aetate adhuc floret, & a nomine ejus *Joachimicum* appellatum, & ejus perinde, ac reliquorum FRIDERICORUM, gratia & benevolentia amplificatum.

Merita FRIDERICI GUILIELMI Magni, hujus pronepotis optimi, in rempublicam, in bonarum artium studia, & Musarum domicilia, multo praestantiora sunt, quam ut dignum iis pretium a me statui possit. Haec igitur non meis, sed illustris *Samuelis Pufendorfii*, qui Gymnasii olim Grimensis Alumnus fuit, rerum „gestarum tanti Herois scriptoris, (fff) verbis exprimam: Quia ad „propagandam pietatem, animique culturam scholae cumprimis faciunt, „earum in sua ditione insignem curam habuit FRIDERICUS GUI„LIELMUS, & Froncofurtanam Academiam, & eam, quae Regiomente est, praeclaro redituum augmento mactavit, simulque Duisbur„gi ad Rhenum novam instituit, dotavitque, quam olim *Guilielmus* „Cliviae Dux, molitus fuerat, sed ob ingens bellum Belgicum omiserat.

Decus hoc Borusso-Brandenburgicae Domus gentilitium non modo non imminuit, sed firmo semper animo retinuit, auxit in dies, altiusque evexit filius maximi hujus Principis, FRIDERICUS, inter Principes Electores III. & inter Reges gentis Borussicae primus. De hujus immortalibus in patriam & scholas meritis Hala Magdeburgica nunquam conticescet, ubi novam Academiam, eamque florentissimam, condidit anno MDXCIIII. amplissimisque sumtibus, & beneficiis pro sua munificentia ornavit, Praetereo reliquas hujus FRIDERICI lau-

(fff) De rebus Friderici Guilielmi libr. XIX. p. 1633.

laudes, & egregia monimenta, quae ut in secula ibunt, ita complures etiam & satis aptos obtinuerunt laudatores, qui sua eloquentia exornarunt. Testantur de insigni Regis munificentia collegia pictorum, & mechanicorum, Berolini privilegiis beneficiisque ornata, testatur Regiae scientiarum societatis institutio anno MDCC. facta, testantur innumerabiles librorum Dedicationes, & inscriptiones (ggg) a viris eruditis non Germaniae solum, sed Belgii quoque & Angliae, huic Musarum Patrono factae.

Neque ab hoc in literas, artes, & scientias amore alienus est successor Patris optimi, Potentissimus Rex, & Serenissimus Pr. Elector FRIDERICUS GUILIELMUS, quem DEUS in suorum salutem servet, qui maximis & innumeralibus atavi, avi, & gloriosissimi Patris, meritis commotus, literas, earum sedes, Scholas publicas, fovet & conservat. Cujus rei luculentum praebet testimonium *Gymnasium Carolinum*, Sedini institutum, quod & belli tumultu & injuria militum depravatum, & penitus desertum, sua munificentia restituendum, & multis modis augendum, curavit. Maxima certe felicissimi hujus Regis beneficio civibus conceditur felicitas, propterea, quod ab injuria Belli, & impressione hostium tuti, in studiorum cultura conquiescere, Musarum domicilia retinere, & literarum ope confirmati temporum miserias pariter, & curas domesticas, allevare possunt.

Plures ex hac Serenissima Domo Brandenburgica orti, & in Franconia sedem habentes fuerunt FRIDERICI, literarum & Scholarum amatores, interquos primas obtinebit GEORGIUS FRIDERICUS, Marchio Brandenburgensis Onoldbacensis, qui Ducatum Carnoviensem, in Silesia, itemque Byruthium, & Culmbacum, obtinuit, Georgii pii filius, qui eodem animo & amore in literas, & bonarum artium officinas fuit, & pacis amantissimum se praestitit, Gymnasio item Curiensi, in Variscia, multa subsidia, ex reditibus Monasterii D. Clarae, anno MDLXIII. atribuit (hhh) quae grata mente etiamnum praedicant

(ggg) Germania Princeps Giovan. p. 526.
(hhh) Vide Ludovici Histor. Scholar. p. II. p. 295.

cant literarum in hac Musarum sede Doctores. Vestigiis pietatis, constantiae, & felicitatis avitae ingressus Heilsbrunnam tanto complexus est amore, ut anno MDXXCII. Nonis Aprilis, die suo natali, illustre quoque Gymnasium ibidem aperiret, in quo ex finibus patriae centum adolescentes ingenui erudirentur, & educarentur, & largum victum & amictum ex Coenobii proventibus obtinerent. Quod in deliciis hoc Gymnasium Heilsbrunnense, s. ad fontes salutis, ei fuerit, exinde constat, quod Curatorem Monasterio, atque Alumnis „educandis, praeficiens, saepius dixit: Thesaurum, quem habeo o„mnium pretiosissimum, tibi trado commendoque. Idem juventuti „Heilsbrunnensi, studiis Academicis pertractandis aptae, stipendia XX. singula quinquaginta florenorum, constituit, quae VVittebergam missi studiosi, industriam in literis adhibentes, obtinerent, & quamdiu ibi tem vitam agerent, retinerent. De qua re legenda est celeberrimi Godofred. Ludovic. Historia Gymnasiorum & scholarum (iii) Vita defunctus est hic Musarum Patronus anno MDCIII. ejusque exuviae in Mausoleum Heilsbrunnense non sine splendido comitatu, translatae, ejusque provinciarum partem obtinuit *Christianus*, partem *Joachimus Ernestus*, & Gymnasium Heilsbrunnense commune utrique fuit.

JOANNES FRIDERICUS, Marchio Onoldbacensis, Majorum exemplis commotus, non minus ipse bonis artibus, & scientiis, Argentorati & Genevae imbutus fuit, sed suos etiam filios, omnesque cives, fide obstrictos, iis imbuendos curavit, eamque ob rem scholas omni cura conservavit. Hunc delicias generis humani appellabant omnes, qui ejus gratiam & benignitatem semel experti eranr. (kkk) Eodem fere studio scholas prosecuti sunt filii ejus, paternae laudis aemuli *Georgius* FRIDERICUS, & GUILIELMUS FRIDERICUS, quorum ille MDCCIII. fatis concessit; hunc vero adhuc vivum cives non sine laetitia, & animi submissione, colunt, qui scholas olim conditas conservare & amplificare non intermittit.

XI.

(iii) vide Ludovici Histor. Scholar. P. II. p. 295.
(kkk) Layrizius in Palmet. Historico p. 351.

X I.

Ex Ducibus Brunsvicensibus & Luneburgensibus primum locum tribuo FRIDERICO devoto, qui initio quidem regiminis sui multas injurias, ab Archiepiscopo Coloniensi illatas, sustinuit; ab his vero liberatus pace & tranquillitate usus est, & de coenobio Cellensi erigendo cogitavit, quia iis temporibus literarum cultura in coenobiis florebat. Praecipua laude dignus est FRIDERICUS *Ulricus*, Dux Brunsvicensis & Luneburgensis, qui a primis statim annis, sapientia, literis, & virtute, ornatus, & variis per Belgium, Galliam, Britanniam, susceptis itineribus politus, multis patriam bonis cumulavit, & Academiam Iuliam in pretio habvit. Hujus bibliothecam *Iulius*, Dux Brunsvicensis instituerat, *Heinricus Iulius* auxerat, libris a Matthia Flacio coemtis, & FRIDERICUS ULRICUS, non minus sua librorum supellectile, quam in aula habuit, quam aliis libris auxit. Reditus trium Coenobiorum Academiae assignavit, quibus Professores nutrirentur. Digna sunt verba ex oratione funebri D. Conradi Horneii Memoriae hujus Ducis sacrata (lll) quaea dducantur: „Eundem sedulo & regie prorsus ab incunabulis usque educari „serenissimus pater, *Henricus Iulius*, curavit. Cum enim ipse sapientia, literis, & virtute inter plerosque omnes Imperii principes, „quoad viueret, tantum emineret, quantum lenta solent inter uiburna „cupressi, neque ignorare poterat, quid in re illa omnium maxima commodi esset, neque ut tanto bono tum filium primogenitum ac heredem, tum per eum terras suas impertiretur, studio aut operi ulli „parcebat. Cum autem Regum & principum filios educandi duplex „ratio sit, una in belli studiis, altera in literis, maluit filium suo exemplo his, quam illis, innutriri. Praeterquam enim, quod id filii „ingenio aptissimum esse intelligeret, ita judicabat, in isto potius, „quam illo, salutem reipublicae praecipue verti (mmm.)

E XII

(lll) Helmstad. 1635. pag.10.

(mmm) conf. Dn. D. Goezii Diss. Princeps Graece doctus. p. 23.

XII.

Inter Serenissimos Duces VVurtembergicos praeclarus est FRIDERICUS, *Georgii* filius, qui paci intentus fuit, & Academiae Tubingensi, cujus anno MDLXXIII. Rector Magnificentissimus est creatus, multa beneficia praestitit, & literarum amore captus omni studio earum praestantiam promovere contendit. Collegium Tubingense, a Ludovico, Duce, conditum, Principum, Comitum, & Equitum studiis consecravit. Quinque filiis, Principibus, pacis literarum scholarum, cupidissimis, felici auspicio FRIDERICI nomen imposuit. Inter hos Jo. FRIDERICUS Conditor *Studgardiensis* (nnn) *Ludovicus* FRIDERICUS *Mompelgardensis*, *Iulius* FRIDERICUS *Iulianae* Domus parens factus. *Georgius* FRIDERICUS optimo aetatis & studiorum flore defunctus, & FRIDERICUS *Achilles*, arte & Marte clarus fuit, qui Consultationis de Principatu inter Provincias Europae, Tubingae, in illustri Collegio, habitae auctor extitit & multos Germaniae Principes suo exemplo illustri ad pacem, diligentiam, & exercitationem eloquentiae incitavit. Recenset hos omnes Thomas Lansius, in Praefatione Consultationi an: MDCXX. Tubingae praemissa, & magna laudis praedicatione nomina eorum extollit.

FRIDERICUS Dux VVurtembergicus, Jo. FRIDERICI filius, initio regiminis, bello difficili & periculoso triecennali, patriae praesidio fuit, insignis quoque literarum & scholarum promotor deprehensus est. Cujus rei bibliotheca instructissima, in qua ultra viginti millia librorum rariorum, partim typis impressorum, partim manu exaratorum, habuit, & thesaurus numismatum, antiquitate praestantium, in usum eruditorum, & inprimis in emolumentum scholarum, quarum patronus fuit eximius, collectus testimonium exhibent. (ooo)

FRI-

(nnn) Vide Layrizii Histor. Palmvvald p. 488.

(ooo) Layrizens Palmvvald p. 494.

FRIDERICUS *Carolus*, VVurtembergici Ducatus administrator, & *Eberhardi Ludovici* tutor, pacis & bonarum artium amator eximius, felici auspicio illustre Gymnasium Stutgardianum, multis jam annis desideratum, condidit, & anno MDCLXXXVI. solemni ritu inauguravit, constitutis sex Professoribus, honestis stipendiis invitatos. Leges & rationes studiorum, huic Gymnasio praescriptas continet celeberrimi Ludovici Historia scholarum & Gymnasiorum celebriorum (ppp)

X I I I.

Neque praetereundi sunt Holsatiae Duces stirpis Gottorpiensis, inter quos FRIDERICUS, *Jo. Adolphi* filius, natu maximus, omni laudis praedicatione dignus fuit, eo, quod ad literarum Graecarum & Latinarum studia, optimasque scientias ornandas, omnem curam & laborem adhibuit, & non bibliothecam solum Gottorpiensem multis modis auxit, sed varia etiam instrumenta Mathematica, a rerum ad pulverem eruditum pertinentium peritis in usum Juventutis scholasticae conficienda, & globos ingentis magnitudinis, magnis sumtibus comparandos curavit, ex quibus ipse voluptatem percepit, id quod de eo commemorat Jo Mollerus in Isagoge ad Historiam, Chersonesi Cimbricae, [qqq]

FRIDERICUS IV, Dux Holsatiae, filius *Christiani Alberti*, virtute & prudentia omnes facile superavit. Hic in Academia Kiloniensi, quae a Conditore Albertina quoque dicta, multa memoratu digna instituit, & literarum incrementa quovis modo ornare studuit. Plura literarum ornamenta patria ab illius liberalitate obtinuisset, nisi in praelio ad Clissoviam anno MDCCII fato ereptus esset. Decus & gloriam hujus serenissimae Domus nostris temporibus adhuc servat *Carolus* FRIDERICUS, qui scientiis, magno Principe dignis,

(ppp) p. 2. p. 38.

(qqq) p. 198. seqq.

prima aetate imbutus varias spectavit aulas, & gentis suae dignitatem inprimis auxit. Eodem amore scholas, sapientiae domicilia prosequitur, quo serenissimi Majores, fama celebres, sunt prosecuti.

X I V.

Ad Principes, literarum & pacis amatores, referendi etiam sunt Marchiones Badenses, Durlacenses. Inter hos praecipua laude fertur *Ernestus* FRIDERICUS, qui non puriorem solum doctrinam, abjectis & remotis sacris Pontificiis, civibus suis commendavit, sed, quo firmiores in ea facerent progressus, scholam Durlaci anno MDXCVI. aperuit, cui eruditos & peritos praefecit Doctores, & Alumnos magna liberalitate nutriendos jussit, ut sine impedimento in literis progrederentur. Cum vero animum suum plane immutaret, pravis consiliis deceptus, ad Calvini castra transiit, & multa contra Lutheranos est molitus. Quod dum faceret, praematura morte, supremo Numine sic volente, ereptus est. (rrr) anno MDCIII.

In hujus locum successit frater, GEORGIUS FRIDERICUS, puriori coetui addictus & rerum, sacrarum, & multarum scientiarum peritus. Hic ob egregiam virtutem, prudentiam, & eruditionem ab omnibus fere Principibus & in primis Imperatore Romano, Rudolpho II. in pretio habitus est, qui omnes ejus consiliis, patriae salutaribus, saepe sunt usi. De amore in Scholas nihil quicquam remisit, quas, quoad rebus praefuit, conservandas & tuendas curavit.

Filius ejus FRIDERICUS quietem & tranquillitatem in patriae finibus restituit, & de Scholis conservandis & augendis saepius cogitavit, ex quibus optimos cives, & viros ad quaevis munera, sibi promittebat. Ipse amavit literas, & scientias praecipue Mathematicas cognitione dignas putavit, id quod B. Spenerus in opere Heraldico (sss) de eo observavit. Neque minus FRIDERICUS VI. patris exemplo incitatus, verae religionis, literarum & justitiae defensor fuit, qui Gymnasium Durlacense optimo flore conservavit, & majore beneficiorum cumulo, itemque bibliotheca instructissima ornavit. FRIDERICUS MAGNUS, a Patre magna cura & industria educatus, litera-

(rrr) Layriz Histor. Palmvvald p. 572.
(sss) L. 2. c. 4.

terarum quoque insignis promotor exstitit. Quarum ut ipse non imperitus fuit, ita & sedes Musarum tueri non intermisit, & eruditos tanto honore, tantisque beneficiis prosecutus est, ut instar Numinis ab iis haberetur, & patriae Pater appellaretur (ttt)

X V.

FRIDERICUS ANTONIUS, Princeps Schvvarzburgicus, *Ludovici* FRIDERICI filius, e quatuor Comitibus Imperii Comes, insignis est Musarum & Scholarum Patronus, cujus rei documenta, ut de reliquis nihil dicam, praebet Francohusanum Lyceum, quod omni amore ac gratia complectitur, & multis beneficiis exornat.

X V I.

Inter Silesiae Duces, Lignicenses multi fuerunt FRIDERICI, qui Scholas, pietatis, bonarum artium, & literarum officinas, suscepta per D Lutherum doctrinae sacrae emendatione, instituendas curarunt, inter quos praecipua laude ferendus est FRIDERICUS II. qui (uuu) Anno MDXXII. Goldbergae Illustrem aperuit Scholam, eamque omnibus beneficiis complexus est. Magnam Scholae famam conciliavit celeberrimus ille Rector, Valentinus Fridlandus Trocedorfius. qui in sermonibus, quos cum familiaribus habuit, saepius proferre solitus est: „Se tantum habuisse discipulorum numerum in Schola sua, ut si in u„num cogendi essent illi justum ex iis exercitum (vv vv vv) contra Turcam producere posset.

X V I I.

GEORGIUS FRIDERICUS, Princeps VValdeccius Comes Pyrmonti & Culemburgi Sacri Romani Imperii, & foederatorum Belgii Ordinum summus militiae praefectus, inter armorum strepitus, & ardua consilia, quae pro Germaniae libertate, & tranquillitate, suscepit, de literarum studiis, & Scholis patriae, praesertim de Gymnasio VValdec-

(ttt) Layriz. Histor. palm. p. 584.
(uuu) Henelii Silesiographia renovata.
(vv vv vv) Ludovici Histor. Rector. & Gymnas. p. 110.

deccensi, Corbachii, a VVolrado, Comite, pietate & virtute insigni, olim aperto, conservando & augendo, saepe multumque solicitus fuit. Dignum meritis hujus Principis scriptorem se praebuit illustris Conradus Samuel Schurzfleischius, in vita Georgii FRIDERICI, VValdeccii, quam morte praepeditus ad finem perducere non potuit. Interim optat mecum eruditus orbis, ut ea ex tenebris in lucem aspectumque proferatur.

XVIII.

FRIDERICUS Comes Nassovius, insignis scholarum & literarum Patronus fuit, qui non tantum Rectoris Magnificentissimi dignitatem in Academia Heidelbergensi Anno MDCLVIII libenti animo gessit, sed in finibus quoque suis constitutam scholam VVeilburgensem in VVetteraria sitam (xxx) multis beneficiis ornavit, & praemia docentibus attribuit,

XIX.

Joannes FRIDERICUS, Comes Leiningensis, Turckhemii, quae urbs in Palatinatu inferiori illustrissimis Comitibus Leiningensibus subjecta, illustrem scholam Anno MDCCV. instituit, de cujus inauguratione, ut & benignitate celsissimi Conditoris, orationes typis impressae multa commemorant.

XX.

Non diffiteor, complures adhuc Germanorum Principes FRIDERICOS, praeter eos, quos, pro temporis ratione, breviter recensui, pacis & scholarum amantissimos fuisse, & plura de jam adductis commemorari potuisse; sed multi & assidui muneris mei labores prohibent, quo minus omnes & singulos Principes, eo, quo vellem, ordine, eaque copia prosequi liceat Hoc tamen a me in posterum fiet, si tantum temporis nactus fuero, ut reliquos Europae Reges & Principes, FRIDERICI nomine ornatos, proferre queam. Veniam igitur dabis, *Lector benevole*, si Tuo quaedam ingenio minus perfecta, minusque polita videantur. Ego Tuae facile accedam sententiae, si facultas Tibi data fuerit meliora & perfectiora in lucem proferendi.

(xxx, Ludovici Hist schol, P, III. p. 42.

Conſpectus Fridericorum Sereniſſ.

X.

Emendanda & notanda.

p. 2. l. 14. obtinebat. p. 3. l. 18. impositione. p. 4. l. 27. Rempublicam, quam. p. 5. l. 17. & quam. p. 9. l. 8. scholas. p. 10. l. 20. & primum. p. 10. l. 25. transmitti. l. 27. scriniis. l. 29. enucleandi. p. 14. l. 1. rint. l. 6. filius. l. 7. minimus. l. 27. suosque liberos. p. 16. l. pen. dimittentur. p. 21. l. 18. complexus. l. 23. loquitur. p. 24. l. 1. traditam. l. 33. videantur. p. 25. l. infortunarum. p. 28. l. 10. elegantiam l. 25. praesidium. p. 30 l. 20. Francofurt. p. 32. l. 18. pro ejusque. lax. & ibid Joachimus.

